



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

III. Solvuntur diversa Dubia Juramentum concernentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

centius XI. hanc inter alias, ordine 24. Propositionem damnavit: *Vocare Deum in testem mendacij levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

30. Additur notanter, *deliberate & advertenter facto.* Quia, ut notat Doctor noster in 3. dist. 39. q. iii. estque communis, Perjurium sine deliberatione factum, non est peccatum mortale: cum generaliter ad omnem actum humanum, ac praesertim ad peccatum mortale, requiratur voluntarium, ac sufficiens deliberatio. Unde quamvis nunquam ratione parvitas materiae, adhuc tamen ratione defectus voluntarij, aut sufficientis deliberationis, quandoque homines a peccato mortali contingit excusari: dum videlicet proferunt verba, ex se quidem juramentum falsum sonantia, sed sine intentione actuali, vel virtuali, Deum in testem falsitatis adducendi; aut quia id faciunt non cum plena deliberatione: siquidem, ut notat saepe citatus D. Thomas 2. 2. quaest. 73. art. 2. *Peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis adjudicanda.*

Potest fieri veniale ex defectu voluntarij, ac deliberationis.

Peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis adjudicanda.

### Q U A E S T I O III.

Solvuntur diversa Dubia, Juramentum concernentia.

31. **Q**uaeritur I. Utrum violatio Juramenti promissorii, praesertim in re parva, sit peccatum mortale? Resp. I. Si promissio Juramento firmata sit rei notabilis seu gravis, violatio ejus erit peccatum mortale. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia, ut jam dictum num. 4. ad Juramentum promissorium requiritur duplex veritas; una intentionis, seu veritas dicti, qua quis ab initio debet habere intentionem servandi id, quod promittit: & altera executionis, seu veritas facti, qua suo tempore servandum est id, quod sub Juramenti religionis quis promissit. Itaque si quis cessante justo impedimento, a nulla subsistente conditione tacite ex quatuor illis n. 23. assignatis, atque in omni Juramento promissorio tacite subintellectis, non impleat id, quod se facturum sub Juramento promissit, jurans, quantum in se est, facit, ut Deus falsum testatus sit.

Violatio juramenti promissorii, quale peccatum?

Quid, si res sub juramento promissa sit levis?

32. Resp. II. Num autem idem dicendum sit, si materia sub Juramento promissa sit levis, ac parvi momenti, variant Doctores.



stores. Et quidem affirmativam ob reverentiam Divini Numinis observare, procul dubio laudabilissimum est, atque omnimodis consulendum. Negativam tamen sententiam, id est, peccatum mortale tunc non committi, tenent Reginaldus *lib. 18. num. 97.* Suarez, Sanchez, Sotus, pluresque alij. Ratio desumitur ex dictis *num. 23.* ubi diximus, plures condiciones dari, quæ excusent jurantem ab obligatione implendi Juramentum promissorium, quarum una est: *Si is, in cujus gratiam juratur, id remittat.* Atqui nullus censetur facile, & rationabiliter, velle obligare sub gravi culpa ad præstandam materiam levem, quam quis promittit sibi sub Juramento; ergo non erit peccatum mortale, materiam levem sub Juramento promissam non adimplere: idque tum ob tacitam remissionem alterius, in cujus favorem juratur; tum ob levitatem materiæ, utpote quæ in simili etiam in Votis excusat.

An liceat  
Juramentum  
exigere à  
juramento  
falsum?

33. Quæritur II. An liceat Juramentum exigere ab eo, quem quis scit falsò juraturum, aut juraturum per falsos deos, vel per Machometem Pseudopropheta? Resp. I. Si quis exigat juramentum ab aliquo, quem nescit juraturum falsò, non peccat. Ita communis; & ratio clara est: quia ignorantia ipsum excusat, præsertim accedente bonâ fide, qua sperat, alterum reverentiâ Numinis non ausurum falsò jurare. Id tamen absque justa causa non est faciendum: quia sicuti peccatum est, saltem veniale, absque necessitate verum jurare; ita etiam alterum absque necessitate ad Juramentum adigere, juxta illud Salvatoris, *Matth. 5. Quod amplius est, a malo est.*

34. Resp. II. cum Doctore Angelico *2. 2. q. 98. art. 4.* & alijs, fas non esse, nisi justa causa subsit, exigere Juramentum ab eo, qui scitur pejeraturus. Ratio est: quia inducere aliquem ad peccatum mortale, pura ad perjurium in casu nostro, est peccatum mortale; tenemur enim, quantum in nobis est, tantam Dei injuriam & proximi peccatum evitare.

Præsertim  
in judicio.

35. Dicitur notanter *absque justa causa.* Nam in primis Judex, si tanquam persona publica secundum ordinem Juris exigat à litigante Juramentum, non peccat, si ve sciat eum falsò juraturum, si ve non. Tum quia facit id, ad quod ex officio tenetur; perente præsertim parte adversâ: tum quia Judex non debet sequi privatam scientiam, sed præscriptum Juris, adhibendo ea, quibus solet elici veritas; alioquin daret justam causam scandali. Quando tamen Judex id commodè potest declinare

nare



nare, debet, ut notat inter alios Lessius l. 2. c. 42. n. 49. plures causas subjungens.

36. Insuper, ubi justa ratio ad damnum, vel injuriam cavendam suppetit, etiam in contractibus, & alijs causis, potest quis exigere juramentum ab eo, qui per falsos deos, aut Machometem Pseudopphetam noscitur juraturus; non quidem, ut determinatè juret tali modo, sed absolutè & in genere: sicuti post D. Augustinum, Epist. 154. ad Publicolum, notant Doctores communiter. Sic Laban, iniens foedus cum Jacob, juravit per Deum Abraham, & Deum Nachor, Gen. 31. Id ipsum est quotidianum apud Mercatores cum Infidelibus contrahentes. Id tamen sine justa causa exigere non licet: neque etiam permissum est, aliquem inducere ad hoc determinatè, quòd per falsos deos juret, quia cooperaretur peccato alterius.

Aut à juraturo per falsos deos, vel Machometem?

37. Quæritur III. An liceat exigere Juramentum ab eo, qui bonâ fide jurabit contra veritatem, id est, firmiter sibi persuadens esse verum, de quo jurat, quod tamen à parte rei est falsum? Resp. negativè, prout notat Herincx disp. 6. de Religione, n. 36. cum Doctoribus communiter, contra paucos alios. Ratio est: quia respectu perentis est inductio ad falsitatem testificandam, & jurandam; quod est intrinsecè malum.

Vel à juraturo bonâ fide contra veritatem?

38. Quæritur IV. An liceat æquivocè, vel cum restrictione mentali jurare? Resp. I. Hic inprimis cavendæ sunt Propositiones illæ, quas Innocentius XI. sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosæ, & in praxi perniciosæ, meritò damnavit; quarum prior, ordine 25. sic habet: Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. Altera, ordine 26. est hæc: Si quis, vel solus, vel coram alijs, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocunque alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod reverâ fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverâ non mentitur, nec est perjurus. Tertia, ordine 27. & itidem damnata, taliter sonat: Causa justa utendi his amphibologijs est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa. Quarta, ordine 28. est ista: Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem

An liceat jurare cum restrictione mentali?

exi.



vel equi-  
vocè?

39. Resp. II. Quando quis se spontè offert ad jurandum, vel si legitime ad hoc compellitur, v. g. per Judicem juridicè interrogantem, peccat mortaliter, si alieno sensu juret. Ita communis: & patet tum ex Propositionibus proximè relatis, ac damnatis: tum ex eo; quia si juridicè interrogatus, æquivoce, atque in alio sensu jurare posset, facile perverteretur Judicium. Accedit, quòd juridicè interrogatus teneatur obedire Judici, sicque jurare in sensu ab eodem intento; ergo jurans æquivoce, vel cum restrictione mentali, committeret perjurium.

Quid, si in-  
justè cogatur ad ju-  
randum?

40. Resp. III. Nihilominus, quando aliquis iniuste cogitur ad Juramentum, non peccat jurans amphibologicè, si iusta ita jurandi causa subsit ad veritatem aliquam dissimulandam. Ita cit. Lessius n. 47. Layman lib. 4. tract. 3. cap. 14. n. 7. & alij. Atque hanc doctrinam non contineri sub censura Propositionum damnatarum supra allegatarum, satis indicat Joan. Cardenas in *Crisp. Theolog. ad dictas Propositiones, presentim n. 77.* Ratio est: quia amphibologicæ locutionis unus sensus verus est; ergo secundum illum postulante tali necessitate, locutio illa potest Juramento confirmari: cum enim iniuste quis cogatur ad Juramentum, non tenetur loqui ad mentem alterius.

Juramentum,  
quis possit  
irritare, di-  
spensare,  
commutare  
&c.

(a) *Diff.*  
*seq. Quest.*  
41

41. Queritur V. & ultimò, quis possit irritare, dispensare, relaxare, aut commutare Juramentum promissorium? Resp. de hoc inferius (a) fore dicendum, agendo de Voto. Nam qui potest Votum relaxare, dispensare, irritare, vel commutare, poterit etiam Juramentum promissorium soli Deo factum: quia Votum, & Juramentum pium, in Jure & apud Doctores æquiparantur quoad vinculum, & ambo similem erga solum Deum ex virtute Religionis obligationem continent; ideòque dispositum de uno, censeri etiam debet dispositum de altero. Sanchez lib. 8. de *Matrim. disp. 7. num. 18.* Layman lib. 4. tract. 3. cap. 11. cum communiore, contra Navarrum, & paucos alios.

